



1. Antonij s. pauliſ diff. de
patno Lutheri Lutheri
Halle 1730.

2. _____ diff. de adio
provenitentiali, Halle 1709.

3. _____ diff. de fide,
Halle 1728.

4. Baumgarthen s. Gizeim. Jac. s
diff. de gratiis peccatorum
Halle 1736.

5. _____ diff. de dictis
Scripture Gacrd pro.
Bantibus, Halle. 1734

18

17.

JOACH. JUSTI BREITHAUPT,

S. Th. D. & P. P. Sem. Th. & Sacrorum Hillersl. Direct. Præp. & Præl.
B. V. Magd. Confil. Confilt. & Gen. Superint. in Duc. Magd. primæq; Direct. Sal. Insp.

OBSERVATIONES THEOLOGICÆ

DE

HÆRESI

JUXTA

S. SCRIPTURÆ SENSUM,

In

UNIVERSITATE HALLENSI


A. MDCXCVII. P. P. ad disputandum.

Accedit

ANIMADVERSIO APOLOGETICA

A. M DCCIX.

HALÆ, apud CHRIST. ANDR. ZEITLERUM, Acad. Typogr.



I. N. f.

DE HÆRESI, JUXTA S. SCRIP- TURÆ SENSUM.

OBSERV. I

Vocabulum Hæresis per se est μίσος, ut tam in bonam, quam malam partem, accipiatur.

I.

 Ucem *etymologicæ* afferunt dicta Matth. XII, 18. & Phil. I, 22. utробique verbum denotat inclinationem animi ad eligendum. Nomen ipsum hinc non perperam aliquando redditur, *electio*. Cum verò tot opiniones suboriri soleant in humanis, quot capita, mirum non est, quod certa *dogmatum* *electio* appellata sit hæresis; ut proinde significet opinionem de aliquo dogmate firmatam. Ita *synonymum* est *secta*, *disciplina* pecularis.

2. Eâ ex *latitudine* est, quod vox per se μίσος sit, usitata in utramque partem. Act. V, 17. dicitur *heresis* *Sadducorum*, pesima illa quidem, sed hoc loco insignita communi appellatione. Act. XV, 5. ipsorum credentium nonnulli describuntur ab *heresi* *Phariseorum*; à qua tanquam *exquisitissimâ*, prout confertur cum aliis Act. XXVI, 5. aliquanto facilior ipsis fuerat transitus ad Christianismum. Quâ postiore locutione cùm laudetur ista ab Apostolo, vox sensu meliore

A 2 adhi-

DE HÆRESI
4 adhibetur, necesse est. Et verò Act. XXVIII, 22. est a-
pertissimum, Judæos adhuc in medio relinquere, bene
an secus de hæresi novâ censendum sit.

OBSERV. II.

Ex usu, propter emphaticam vocis notationem,
fieri potuit, ut sensim rationem quandam ma-
lam potius, quam bonam, designaret.

1. Significationum, quæ in sequiore sensum a-
biere, origines sunt diversissimæ. Arbitramur, ex *em-
phasi* vocis accidisse, ut ea effectus consequandi potius
pravus, quam laudabilis, exprimi videretur; præser-
tim cum depravata natura ejus sit conditionis, ut ge-
rat se proniore ad captanda mala, quam ad bona.
Quâ quidem concupiscentiâ postquam est factum, ut
capio plerumque esset *decepito*, similiter in Græca lin-
guâ ægeorï mutationem in significando subiit, vocis vim
absorbente usu, utpote qui sequitur judicium commu-
ne, ab experientiâ quod peti affolet.

2. Satis manifestum hoc appareat Act. XXIV, 14.
ubi Paulus minimè in bonam partem accipit, quod i-
psum accusantes, doctrinam Christianam v. s. vocâ-
sent *Nazarenorum illam hæresin*; simul innuens, loquendi
usu nomen illud effectum esse durius, ac recessisse à sa-
pientiæ cultoribus, & propriè in eo, qui sequiora secta-
retur, remansisse. Idem sensus reperitur 1. Cor. XI, 10.
Gal. V, 20. 2. Petr. II, 1.

OBSERV. III.

Usurpatur de aberratione non tantum intelle-
ctus, sed etiam voluntatis simul.

¶ Quod

JUXTA S. SCRIPTURÆ SENSUM. 5

1. Quod intellectus aberrationem notet in Scripturâ hæresis, negabit nemo, qui supra adducta SS. literarum loca fideliter ponderaverit. Sanè vel illa hoc evincunt satis, quæ de *Judaorum Sectis* agunt: Act. V, 17. XV, 5. XXVIII, 22. Etsi enim nec deerat, quo Pharisei Sadduceis in ipsâ vivendi agendique viâ dissererent, tamen eorum discrepantiam in credendis suis se positam, liquet ex Matth. XXII, 23, 24. Act. XXIII, 8, 9. Omnino autem mentis intelligentiæ hæresis tribuitur Act. XXVIII, 22. conf. cum v. 20. licet hic neque in bonam neque in malam partem feratur significatio.

2. Ex I. Cor. XI, 18, 19. si quis contendat, vocem schismatum & hæresium usurpari synonymicè; posito isthôc, nondum efficietur, hæresin nullo modo ad intellectum pertinere, siquidem citra opinionis quandam errorem nec schisma nulla existit. Neque vero, si schisma & hæresis ibi synonyma essent, ut voces modo *latius*, modo *strictius* inveniuntur, ex eo verbis alibi expressis detraharetur quidquam. Ceterum ut synonymicè summam schismata & hæreses, cum Chrysostomo in hunc locum, certe adduci nequeo, sed Tertulliano assentior. Conjecturæ locus daretur, si legeremus: δει γαρ αιπέστεις ιν ωντων είναι. at vero cum videam καὶ maximè emphaticum insertum, & res ipsa, & Paulinus stylus, qui particularum hanc non admittit otiosam, (conf. Phil. III, 12. Glasm. Phil. S. I. 3. tr. 7. c. 3. 4.) synonymias suspicionem omnæ tollit. Quanquam nullus negaverim, eatenus hæreses respicere schismata, quod illæ hæc attrahant I. Cor. I, 10. supponantque voluntatis pravitatem: quapropter & inter opera carnis, appetitum potissimum spectantia, unâ cum rixis ac dissidiis, pariter ad intellectum atque voluntatem referendis (conf. Rom. XVI,

17.) easdem poni Gal. V, 20. non est quod miremur. A contextu vero I. Cor. XI, 19. acceptationem de erroribus haud alienam esse, ostendit indeoles argumenti à minore ad majus; ubi non opus, ut de eo, quod minus verisimile est, antecedentia & consequentia ex instituto agant, modo quæ verisimilia afferuntur, veluti contextus viscera, ipso illo stabilitantur quam firmissime. Ita enim illic affirmantur schismata locum facile invenire, si & hæreses oporteat esse, hâc fini, ut probati reddantur manifesti. At enim donis & intellectui competere, ex opposito cogor discere Rom. I, 28. Præter locum adductum Act. XXVIII, 22. occurrit etiam alter a. Petr. II, 1, prædicens futuros doctores, qui subin introducant, nempe sub Apostolicæ doctrinæ nomine, hæreses exitiales, & abnegent Dominum, qui illos mercatus sit: nam hæresin hic iterum de intellectu dici, haud obscurum est, licet voluntatis pravæ conformatum accedat. Judas v. 19. et si ponit, quinam & quales sint ἀπόδοξοι ζωτες, à quibus & schismata & hæreses profisciscantur, tamen hæresi commercium esse cum intellectu, nec πνεῦμα, nec ναρὰ διάβολος negat: quin potius hoc affirmat, jubens ipsos se superædificare sanctissimæ sue fidei v. 20. quæ si intelligitur sensitiva & experimentalis, ut 2. Cor. XIII, 5. superædificatio quidem fieri nequit sine fundamento ejus dogmatico, quod Apostolum non excludere, videre est v. 3. conferendo cum Gal. I, 23. Quocirca B. Lutherus in Catech. Maj. pag 540. graviter monet, fidem necessario aliquid habere, quod credat, hoc est, cui innitatur, & quæ re suffulta persistat.

3. Quemadmodum Scripturæ adversatur, si negaveris, intellectum aberrare in hæresi, ita non refragabor, si negaveris, intellectum solum in hæresi aberrare,

JUXTA S. SCRIPTURÆ SENSUM.

7

rare. Quando hæreticus Tit. III, 10. describitur everius & peccans, ἀταξία notatur non minus in voluntate, quam intellectu: quod ipsum superiora quoque edocent ex 2. Pet. II, 1. 2. Gal. V, 20. & 1. Cor. XI, 19. immo quod tantum οἱ δόκιμοι hæreticos expertes statuantur inter Corinthios, æquè pro voluntate, ac intellectu facit. Cum vero adversus veritatem nihil solidi proferri potest, nec tamè mutatur sententia ob inane quoddam obstaculum, voluntatis vitium reputatur. Si quis autem hunc respectum ad *Subiecti conditionem* referat, quæ non nisi à posteriori compleat quasi hæresin; equidem neque à priori ipsam à voluntatis crimine immunitam pronunciārim, quoniam ejusmodi negatio apud Christianum non existit, nisi affectu pravo intellectus irretiatur. Nescio an alibi in sacris hoc clarius docatur, quam 1. Tim. VI, 4. 5. Denique *essentialis rationis* indole sit, ut ipse error, qui appellatur hæresis, præcisè ad voluntatis & animæ totius corruptionem ducat, connexus intimè cum fugâ & veri & boni; dicaturque etiam hinc ἀλέσεις ἀπωλείαι 2. Petr. II, 1. quemadmodum Ephes. IV, 22. *cupiditates sunt erroris*, quæ ex errore quodam oriuntur, eundemque augent, & contrâ v. 24. *justitia & sanctitas veritatis*. Ita ergò hæreses sunt ipsæ ἀπωλείαι, exitia, opponunturque *vix veritatis*, πλαστοὶ λόγοι, ficti sermones. 2. Pet. II, 2, 3.

OBSERV. IV.

Hæreticus, ut talis, haberi nequit, nisi apud quem circa negatam veritatem divinam explorata sit voluntatis perversitas.

I. Apostoli verba sunt Tit. III, 10. *Hæreticum hominem post unam & alteram communionem rejice: ut qui norit,*

noris, eversum esse eum, qui sit ejusmodi, & peccare, ut qui suopte judicio sit condemnatus. Loquitur de aliquo ex fi-delium cœtu, qui salutarem Christi doctrinam amplexus, vel ita edoctus fuerit, ut ejus & veritatem & efficaciam non potuerit non, si voluerit, assequi. Neque enim de alio scire possum, num ex fundamento pristino melior, quod vel affectivè vel completere tuerit penes se expertus, eversus sit, peccetque eo ipso, quod, quæ rectius nōrit, malignè repudiet, suo se judicio condemnans. Licet vero hujusmodi homo olim instructus veritate extiterit, tamen, cum tanta sit imbecillitas humana in spiritualibus, ut, quæ quis in spiritu vel optime perspexerit, mox admissa perversionis cujusdam caligine ignorare videatur; vel etiam indirectè illa subruat, alias opiniones occultè oppositas subintroducens; peccatne ita ex infirmitate & ignorantia, an vero ex pro-cessu ac malitia affectu, & quidem præfracte dominante; sciendum ex redargutione Dei verbo facta, non unā modo, sed & altera, ut & resipisciendi & pertinaciam dijudicandi locus detur.

2. Antequam exploratio isthæc instituta fuerit, rejiciendum quenquam non existimas Paulus, neque adeò habendum hæreticum *ut tales*, h. e. qui tanquam hæreticus intellectu ac voluntate sibi constet, & absque hæsitatione judicari perversus queat. Quod ipsum omne admodum illustrari potest ex 1. Cor. XI, 19. Si namque oriuntur hæreses, ut in tentationis horâ appareat, qui probatos se sistant; nec vero horum ratio aliter evadit manifesta, nisi huc & illuc inclinantes probentur, nunquid veritatis fundamenta solidè ad animum revocata deserturi sint, an vindicaturi; non celeriter sanè rejiciendus quispiam ut hæreticus, quamvis

JUXTA S. SCRIPTURÆ SENSUM. 9

vis hæreticorum opinionem aliquandiu præ se tulerit.
conf. Eph. IV, 13, 14.

3. Quando autem in hæretico, *ut tali*, supponitur
fundamentorum veritatis *adæquata* ad assensum præ-
bendum notitia, non negamus, hæreticos dici quo-
dammodo posse, seu potius *hæreticos homines*, qui in se-
cta vivunt hæretica, & hæreticas opiniones tenent, nec
forte idoneæ institutionis unquam participes facti sunt.
Esi enim hæreticus, *ut talis*, nemo ex iis haberi potest,
donec voluntatis ipsius ratio circa hanc rem digno
modo explorata fuerit; tamen, quæ nondum à com-
pleto statu ei competit denominatio, ab errore tamen,
in quo hic versatur ac perseverat, *synecdochice* illam
adsciscit; nec tam propter communionem, in quâ est,
quam ob mentis corruptelam; ceu innuit ipse Paulus
Tit. III, 10. *subiectum* explorandum ac commonefacien-
dum nominans *hæreticum*; hominem impiis captionibus
deditum; tametsi, ut tanquam hæreticus tractetur & de-
feratur, priusquam informationem plenioriem indeptus
sit, fas non esse.

O B S E R V . V.

Hæresis est apud eum, qui Christum profitetur,
& intellectus & voluntatis aberratio, quæ ex
sententiæ naturâ haud consistere potest cum
invocatione Dei verâ & vivâ, (sive per se, sive
per accidens ipsam evertat) informatione Scri-
pturarum eam in rem satis auditâ.

i. Errorem non quemvis in Ecclesiâ Apostolicâ ap-
pellari hæresin, ex *predicatis* animadvertere licet 1 Cor.
XI, 19. 2. Pet. II, 1, 2. Tit. III, 10, 11. quæ plane common-
B stant,

DE HÆRESI

strant , agi de aberratione intellectus & voluntatis [conf. Observ. III.] ejusmodi , qua tollatur funditus invocatio Dei in spiritu ac veritate , una cum annexis spiritu operibus . Idem confirmant loca cetera , ubi vox quidem hærefoes non occurrit , ipsa tamen res declaratur : ut Rom. XVI, 17 Gal. I, 8. 9. V, 2, 3. 4. 8. 9. Coloss. II, 18. 19. Tim. I, 5, 6, 7. 19. 20. IV, 1, 2, 3. VI, 3, 4, 5. 2. Tim. II, 16, 17, 18, 19. 20, 21. 1. Joh. II, 21, 22, 23, 24. IV, 1, 2, 3, 6. 2. Joh. V, 7, 8, 9, 10. Heb. XIII, 9 Jud. V, 4. 18, 19, 20. Vera namque & viya Dei invocatio est ipsum salutis medium unicum Rom. X, 13. neque sic uno semper consideranda modo , sed prout diversa revelationis divinæ periodo factum , ut Deus se pleniū cognoscendum atque adorandum pateficerit . ibid. v. 14. & Joh. XVI, 23, 24. Scilicet adorare Deum ignorato salutis fundamento , quod scire poteras ac debebas , opus vanum esse , & veræ adorationi oppositum , docet Christus Joh. IV, 22, 23. conf. Joh. XVII, 30, 31. Eph. IV, 17, 18. Magni ergo interest , de quo tempore vel *Novi* vel *Veteris Testamenti* queratur , quinam errores sint fuerintve hæreses : unde & nos haud quacunque ratione versamur circa hominem , sed hærefoes , quam nunc spe&ctamus . subiectum statuimus eum ; qui se Ecclesiæ Christianæ membrum profiteatur , atque ita audierit plenè [audire certè potuerit] quæ ad salutem creditu sunt necessaria . Quod si autem demonstraverimus , quibus dogmatibus non modò ignoratis , sed etiam pervicaci animo negatis , invocatio Dei sub Novo Testamento prorsus diruatur , de hærefoes naturâ non amplius dubitandum erit .

2. Ut conditionis , de institutione integrâ , necessitatem ostendimus superiori observatione , sic omnino supponimus , illam e sacris literis circa omnia mysteria ,

JUXTA S. SCRIPTURÆ SENSUM.

ria, ad salutem necessaria, eatenus impleri posse, ut secundum hunc, non aliud sensum, agnoscenda ista sint. Irritum esset monitum ac præceptum de una atque altera *v&g;teola* (conf. Coloss. I, 28.) nisi ea redigi deberet alter ad eum *conceptum*, quem instituens tenet: neque enim quisquam suggerere alium fideliter potest, quam ipse quem soverit. Nequis verò arbitretur, ad Titum III, 10, non agere Apostolum de credendis mysteriis divinis, sanè agit de quovis hæretico; hunc verò & ob credenda, si pernegaverit ista, fieri, docet Petrus 2. ep. II, 1. docet Johannes 1. ep. c. 11, 22, 23, 24. IV, 2, &c. 2. ep. v. 7, 8, 9, 10. nec non Paulus supra num. 1. adductis locis.

Ad rem quod attinet, quando inter hæreticos & orthodoxos litigatur, an divinæ essentiae mysteria in hoc vel illo dicto clare sint revelata, & an secundum hunc vel illum sensum agnoscenda? non sufficit hujusmodi contradic̄tio, ad probandum, quod non æquē, ac clara sunt verba, etiam sensus definitus clarusque ex iis concipi ab omnibus idem possit ac debeat; nisi interpretationem omnino omnem statuere dut iam voluerimus. Respondebitur: distinguendum esse inter indagationem, quæ circa infinitum, & quæ circa finitum *objec̄tum* versatur, nam infiniti convenientiam nullam esse cum intellectu finito, nec in tantum quidem, ut, præter opinionem aut meros *concep̄tus negativos*, scientia vera seu *positiva* produci queat. Verū enim vero committetur hic eadem confusio, quam Pontificii effugere nequeunt, negantes Scripturæ S. perspicuitatem in iis, quæ ad salutem necessaria sunt. Est enim alia, *evidentia rerum*, in le spectatarum, quam negandam ultro cedimus; alia *verborum*, quam sequuntur *species*, de horum sensu animo imprimendæ. Ubirem

intueor coram , sicuti est, sequuntur illæ ipsius rei præsentiam , ut incurrit in sensus ; at ubi verba rerum signa, tantummodo suppetunt, illæ non formantur ex rei ipsius pervestigatione, sed fluunt ex verborum significationibus : hæc vero si *infallibilia* sunt, non licet in dubium vocare *conceptus* veritatem , eo quod res fuerit absens, nec perspici possit. Ut getur: ita quidem habere in finitis, non item circa infinitum, ut pote quod non nisi per *similia* à mentibus finitis cognoscatur. Concedo, quod videri hinc posset ambigua interpretatio, si dicta in Scripturis exhibentur, humana (στοσοφισμένοι μόθοι 2 Petr.1,16.) nec *firmiores* haberemus sermonem *Propheticum* (ib v.19.) aut cuius auctoritas *infallibilia* non niteretur & sapientia, & bonitate, & potentia divina: *Sapientia*, quæ factum, ut scriptura *Sara* i s constet vocibus & locutionibus, quæ quām accommodatisimæ sint ad exprimendas ejusmodi notationes, per quas *objedum* infinitum concipiatur notitia in tantum positivâ & vera, in quantum hanc *Spiritus Sanctus* in nobis, ut est captus hominum , producendam intendit (ibid. v. 20, 21.) *bonitate*, qua factum, ut Deus hominum imbecillitatì consuluerit, ne sit opus, præscripto ordine observato, in erroris sensum vel incidere, vel in eo detineri, nisi quis reperiri velit *inexcusabilis*. Joh. VII, 17. *potentia*, qua factum, ut à polleat efficacia verbum Dei , qua proximè ingenerare possit mentibus nativum & proprium sensum ipsius auctoris sanctissimi [i. Thess. 11, 13] eoque potius, quod difficilius, nec minus verum tamen est, Dei verbo inesse facultatem persuadendi, quæ à corrupta ratione sunt alienissima. Excipietur quidem: non negari ejusmodi quid de *objedis* Scripturam finitis, sed de infi-

JUXTA S. SCRIPTURÆ SENSUM.

13

infinito: respondeo autem; ubi excipiuntur verba de infinito? circa quod multo magis id necessarium est. Si arguas, Deum non requirere in divinis *conceptum* certum *intellectualis*: arguo, requirere; & probavi ha&tenus, quod possit requirere; nec non suprà, quod requirat, conf. cum locis sub init. hujus §. allatis illa, quæ §. i. concessi, quæque jam ex intervallo partim repetuntur, partim addentur cum uberiore causæ hujus declaracione.

Amoveamus prius & hunc scrupulum: si tam clara sit Scriptura, etiam in *crederis* juxta Spiritus Sancti expressum mentem appreheadendis, unde, quod hæretici omnes provocent ad Scripturam? quis judex? Prioris culpa in voluntate aberrantium ponitur 2. Cor. IV, 3. 4. quam ob causam nec hæresis, in *subjecto* spectata, est talis, donec obsecrata malignitas patescat. Judicem vero esse verbum Dei, quatenus *normam*, non sine spiritus efficacitate considerandam, & Scriptura 1. Joh. V, 6. 10. 13. [conf. cum Joh. V, 39. XII, 48.] & juxta ipsam testimonii interni experientia unumquemque docere potest. Neque obstat, quod & hæretici pro se Scripturam adducant. Hinc enim nihil plus consequitur, quam hæreticum non profiteri se hæreticum; qui tamen divino caret fundamento, & *sigillo* isto, quod *Dominus ipsum ut suum norit*, quod ipse *redit ab iniustitia*: in quâ quoniā is veritatem detinens *fundamentalem* negat, hæreticus est. 2. Tim. II, 19. conf. cum Rom. I, 18. Interim verè fidelis agnoscit j. dicem, Dei verbum, sine oppositi formidine, spiritu Dei unctus & obsignatus. Joh. V, 10. 20.

Si quis tandem putaverit; hæc ipsa *undio* cùm ex parte voluntatis incipiat, intellectusque ejus particeps

B 3

fiat

fiat passivè, intellectum quidem in mysteriis percipi-
 endis etiam passivè affici, activè autem se non ita ex-
 serere, ut conceptus unanimis requiri debeat, verum
 pro cujusque receptivitate diversum hunc esse citra
 salutis detrimentum posse, modò in iis non aberret, quæ
 immediate praxin dirigunt: tametsi prius toto animo
 amplectior cum Paulo Gal. IV, 9. Phil. III, 12. & tanquam
 unicuius veræ cognitionis fundamentum propugnan-
 dum judicio 1. Cor. VIII, 2, 3. posterius tamen negare o-
 portet constantissimè. Considereremus in Epistola ad E-
 phesios & Colosenses, quantopere Spiritus S. laboret in
 declarando, quod in Christo omnia in unum recolli-
 gantur, quodque omnes, qui ei ut capiti fide ac spiri-
 tūs efficacis communione firmiter adhærent, teneant
 unitatem & soliditatem ipsius in Christum fidei, quam
 edocti sunt, ne quovis doctrinæ vento circumferantur.
 Coloss. II, 5, 7, 19. Eph. IV, 13, 14. Pulchra est hujus rei
 illustratio apud Cyprianum de Simplicitate Prælat. Ecclesia u-
 na est, qua in multitudinem latius incremento secunditatem
 extenditur: quo modo solis radii multi, sed lumen unum: &
 rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum.
 Et cum de fonte uno rivi plurimi defluant, numerositas, licet
 diffusa videatur exundans copie largitate, unitas tamen ma-
 net in origine. A vello radium solis à corpore, divisionem uni-
 tas non capie. A fonte præcide rivum, præcisus arescit. Sic
 & Ecclesia Domini luce perfusa, per totum orbem porrigitur:
 unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur. Unde er-
 gò hæreses, siue ita dictæ? nisi, quod veritatis scaturig-
 go non servetur, nec verborum Christi capitis integri-
 tas custodiatur incorrupta, sed perversis dirimatur con-
 ceptibus. Etsi enim fatemur, dedecus in Theologia pu-
 dendum esse, si unitas spiritus ponatur in mero con-
 fes-

JUXTA S. SCRIPTURÆ SENSUM. 15

fectionis consensu, qui umbra illius tantum externa est; tamen nec vivida spiritū communio subsistit, ubi dis- solvitur pacis cùm internæ, tum externæ vinculum. Eph. IV, 3. hoc quippe [in voluntatem unionē situm] est nullum, si mentes non consentiant in Christo. Quando idcirco Apostolus ib. v. 4. 5. 6. in Christo ostendit fide- libus oranibus nihil non unum & commune dari, u- num Deum, unum Dominum, unam vocationis spem, unum baptisma, unum corpus, unum spiritum, atque inter illa etiam unam fidem, ut ex eo fundamento con- cordia necessitatē monstrēt; hæcne ita intelligenda fuerint, ut, cùm in omnibus unum quid intueantur Christi membra, excipiatur solum neganda unitas mentis seu *conceptuum*, de mysteriis creditu necessarii? Minime vero. absque hac enim nec una esset fides, tum *experimentalis*, tum *doctrinalis* [conf. ibid. v. 13. 14.] nec concordia. Dices *Cypriani* verbis *unitas tamen ma- net in origine*: ecce! autem *numeritas* quidem mane- re unitas potest in origine; ast non *diversitas*, quæ ori- ginem aliter atque aliter seu immutat, seu deserit. At- que id metuendum esse, easdemque propterea notiones desiderari, nec non eosdem ex iisdem sensibus sermo- nes, idem aperte assèverat 1. Cor. I, 5. 10. Philip. II, 2. III, 16. &c. Largior equidem, in nonnullis, etiam circa my- steria, dispares sententias unitatem spiritus haud tol- lere (nam haud lädere, nullus dixerim) sed in iis my- steriorum partibus, quibus Christus tanquam caput te- nendus est, Coloss. II, 19. si à sentiū vero pertinaciter mens discesserit, una cum capite & spiritus amitteretur. Itaque in his saltem eadem sentiendi ratio summè est necessaria.

Quodsi autem de aliquibus rebus maximè divinis
id re;

id requirit Deus, ut Pauli præceptiones monstrant; certum est pariter, *actualēm intelligentiam circa illas occupatam esse oportere.* De quo ut dubium nullum relinquatur, denuò perlustrant̄ sequentia: Rom. XVI, 25, 26. 1. Cor. I, 5, 6. II, 7, 12, 13, 14, 15, 16. VIII, 6. XIII, 12. Ephes. I, 8, 9, 13. III, 18, 19. IV, 18. Phil. III, 15, 16. Coloss. I, 9, 23, 27, 28. II, 2. &c. 1. Tim. VI, 3, 4. 2 Tim. I, 13. II, 18. III, 14, 15, 16. Tit. I, 9. 2. Pet. III, 6. 1. Joh. II, 21, 22, 23. IV, 2, 3, 14, 15. V, 5, 10, 13, 2. Joh. v, 7, 9, 10, 11. Ne quis vero exiitimet, tot effata afferri tantum de *voluntati divinæ mysterio*, nec de essentiæ mysterio talia quidquam certi intelligendum exigere, reputandum monemus, quod pleraque agant de totâ doctrina Christiana, cujus pars primaria istud est; atque exempli loco proponimus **ex compluribus 1. Cor. VIII, 6. Col. II, 6. 1. Joh. II, 20, 21. 22. &c.** quærentes, nunquid negari possit, respicere hæc *in ordine ad cognoscendum* & illa, quæ sunt mysterii essentiæ? Si Deus unus credendus, neque aliter semiendum ipsa mente, si Pater, si Filius, si Spiritus S. idem credendus; quæ pertinere ad *Sermones Domini nostri Iesu Christi*, quos tanquam fundamentum salutis indentidem Apostoli exquirunt, Evangelistarum testimonia passim testantur: nōnne intellectus est, circa eadem à præscripta (*ὑποτυπώσει*) verborum normâ nullo modo aberrare, ut, qui ausit eorum quædam pernegare, sit *antichristus aut hæreticus?* 1. Tim. VI, 3. &c. 1. Joh. II, 22.

Rei cardo & *analogia* in hoc uno vertitur, quod imago Dei penes hominem ad salutem reducendum instauranda sit in facultatibus universis, nec modò in voluntate, sed ipso etiam intellectu. 2. Cor. III, 5, 13, 18. IV, 4, 6. Joh. XIV, 7, 17. &c. Non video, quid dubitatio-

nis

JUXTA S. SCRIPTURÆ SENSUM

17

nis remansuram sit ponderandi comparationem, quæ institutur 1. Cor. Xlll, 9. 11, 12. inter cognitionem hujus & futuræ vitæ: hic cognoscimus & ratiocinamur ut infantes, videlicet ex parte; tunc cognoscemus perfectè, prout cogniti fuerimus. Amore Dei perfruemur, atque ipsum amabimus; agnoscemur à Deo, & agnoscemus ipsum. Quemadmodum proinde neque hic negatur amor, ut passivus, ita actívus; nec negatur cognitio passiva, ita nec activa negari potest. una est analogia, si verbi divini ratio consideretur, supra declarata. Nec de mysteriis quidquam, quoad Scripturarum exhibetur *enigmata*, veluti haud cognoscendum excipitur; tametsi contemplatio hujusmodi extenuatur, ac dicitur ex parte fieri. Videbimus Deum, sicuti est: cum Paulo nostro inquit Johannes I. ep. c. III, 2. si ergo finitum tam pleno cœlestis lucis fulgore aliquando illustrabitur, ut absque involucro cognoscere ac videri posit infinitum, sicuti est, cur non ejusdem perspicientia ex gratiæ sensu provehatur eo in præsens, ut de infinito conceptum proposito ænigmati saltem consentaneum formet? præterim cum mens, imputa Spiritus S. lumine, intelligendi vires non exuat, sed eas nunc queat sanctificatas aliquo modo exserere. Hoc nimirus est, cognoscere ex parte. Neque enim, si de mentis conceptibus loquimur in Theologiâ, id de mere intellectualibus summendum est; propter ea quod plerique sic abutuntur cognitione, ut hanc ab amore Dei segregantes, committant intelligendo, ut nihil intelligent: ceu saepe notamus ex 1. Cor. Vlll, 2, 3. alioquin incommodum idem ex alterâ parte emerget, ut alii mysteriis, quatenus sunt patefacta, susque deque habitis, volentes tam turpiter adducantur à vero, ut nihil vere velint. Nam qui negant mysteria, ut audita sunt

C

sunt à principio, hi *abducentes* sunt: *negantes Filium, nec Patrem habent.* i. Joh. II, 22, 23, 24, 25, 26. Abusus neutra ex parte usum tollat in mysteriis, tanto cum rigore mandatis: sed usus verus ac sobrius eo fidelius inculcetur; quod quando negligitur ferè ab omnibus, culpa seculi & judicium tremendum utique est. Interim veritatem non decet inclinare magis in sinistram aut dextram, quam Scripturæ libra & intellectus & voluntatis lani pondera imponit. Ut enim γνῶσις è conceptibus merè intellectualibus est ψυχώνυμο, atque inflans hominem, ut sibi persuadeat scientiam, quæ tamen vana est, nec meretur hoc nomen: [i. Tim. VI, 20. I. Cor. VIII, 1, 2.] ita ἐπίγνωσις, cognitio affectiva in spiritu, non datur, quin γνῶση parturiat; quæ et si non semper exprimi verbis potest, tamen, si dicta divinitus præscripta invenit, his subscribere nullo modo veretur ita, ut hunc, non aliud sensum, amplectatur. Quamobrem liberetur vox *conceptus* ab *equivocatione*, & quæ vocis vi connotatur *comprehensio*, in Scripturis prorsus fundata observetur appliceturque ad totam hanc causam; ut, quæcumque loca de intellectus negotio in spiritualibus allata fuerint, haud aliter capiantur, quam patitur dignitas *supernaturalis* fidei, quæ *conceptus* veros alias nullos agnoscit, quam qui nascantur ex *commissione* verborum Dei cum voluntatis & intellectus usu intimo atque attentiissimo Hebr. IV, 2. ēv ὅλῃ τῇ διανόᾳ Matth. XXII, 37. ut *voces litteræ Domini* digerantur, sicut *Patres de conceptibus* veris solent scribere; nec voluntas absque intellectu, neque intellectus absque voluntate fidem completam stat, nedum fidei conceptus: quam Thomas Aquinas apostole circulationem perpetuam dixit: *alterius sic Altera pars exposuit opem, & conspirat amice. Ita Maria verba*

JUXTA S. SCRIPTURÆ SENSUM.

19

verba conservat in corde, verū & mentis operatione confert, expendit in corde suo. Luc. II, 19. Damus etiam hoc voluntati, quod *Renovationis* opus in ipsa multo magis, quam intellectu, se exserat, eoq; Scriptura tendat potissimum, & quam maximè circa mysteria: quorum non rationem esse rimandam, sed meditandum usum, ut mysteria sint picta. Tim. IV, 16. *Paulus*, & juxta ejus sententiam *Lutherus ac Chemnitius* fidelissimè lectorum commonescunt. Sin contra abstulerimus omne certum ac definitum veri falsiq; discrimen à cognitione mysteriorum, cessabit ædificatio ex ipsorum meditatione, licet non nisi simplicissima adhiberi debeat Ephel. II, 21. Jud. v. 20. destruetur fidei ordo, nec misceri poterit sermo cum ipsa voluntate; quæ in quantum periculum adducatur, negante vel posthabeiente intellectu, quæ de mysteriis conscripta sunt. Christus & Apostoli & experimenta fideliū testantur. Minimè ergo separanda est quaestio de *conceptibus mentis* ab eā de *cordis affectibus*, cùm æconomia gratiae in contrarium militet, nec non hāc in re etiam naturæ ac notionum internarum indeoles. Non minus verè, quam pulchre *Augustinus* tr. in Joh. 76. ad c. 16. Non diligitur, quod penitus ignoratur, sed cum diligitur, quod ex quantula- cunque parte cognoscitur, ipsa efficitur dilectione, ut melius & pleniū cognoscatur. Sic in naturalibus: ast quanto magis in spiritualibus! Quapropter & ambabus conces- ferim, infantis officium in amando potius, quam co- gnoscendo patre consistere; modo nec amor absque intellectus *adivi* confortio qualicunque concipiatur; quo & in parvulis semper opus est, ipsiq; parentes utuntur, ad eorum erga se amorem excitandum. Diximus: qualicunque; nec in divinis tamen quocunque

C 2

con.

contentum me esse volo, sed tali demum, quod à Scripturæ dictis, quibus Dominus intelligendi sui rationem, ad amandum se necessariam, patefecit, nullatenus abscedat. Si repetatur: hæretorum nullum fateri, quod abscedat: revocanda est causa ad Spiritum Dei, testantern & judicantem è Verbo intra fidem unumquemque. Joh. VIII, 27. 1. Cor. II, 12. quæ res quando occulta est, non impedit, quo minus, qui ipsa pollet, alterum, perspecta ipsius pertinacia, animadvertere hæreticum possit. Tit. III, 10. Judicium verum auctoriter certum est: idque dies Domini declarabit, confirmabit; falsura condemnabit.

3 Superest, quomodo fiat hæresis, licet sanctificationem per accidens modo evertat, exponamus. Vera ac viva Dei invocatione est ipsa unio spiritualis cum Deo, sanctificatio Theologis latè dicitur. Ut detur illa, supponi fidem ex auditu & prædicto Evangelio, didicimus Rom. X, 13, 14. nec non, quod ea posita ponat salutem æternam, sublata eandem una tollat. Peccatum regnans utramque diruit, nec tamen dici potest hæresis; est aberratio voluntatis, quin etiam intellectus, nec tamen dici potest hæresis. Hæc etenim ex parte intellectus in genere doctrinarum spiritualium existit, quæ si veræ sint, ad fidem sese habent, tanquam causa instrumentalis ad effectum; si falsæ; similiter ad arietem. Neque tamen omni error hæresis est, quamvis omni hæresis, quæ in visu ponitur, nisi errore aliquo hæresis esse non possit: observante Augustino prefat. ad Quod vult Deum. Ira qui non audiverint prædicatum Evangelium, si negent, quæ sunt fidei Christianæ, hærefoes notari non iustinent, quantumvis errent miserrime; nec ipsi evertere dicuntur invocationem Dei, quando hac destituuntur.

Neque

JUXTA S. SCRIPTURÆ SENSUM. 21

Neque vero, qui illud audiverint, ex quovis errore circa Evangelium hæretici judicandi sunt; verum ex eo tantum, ex quo constanter asserto salutaris Dei invocatione subruatur. Licet enim *Hæresis* vi vocis de omnibus dici posse videatur, qui certam opinionem falsam lectati fuerint; tamen, cum variam admittat vox ista significationem, ultimo autem eam contraxerit, quæ hominem communione Ecclesiastica indignum reddat; sollicitè cavendum est, ne latius hæreseos nomen usurpetur, quam designetur in Scripturis, tanto cum detimento conjunctum. Sic vero determinatur illa à *Petro*, quod sit sententia ἀπολέσας, exitii; & explicatur à *Paulo*, quod eam pertinaciter retinens, ever-sus ita peccet, ut suo se condemnet judicio; secundum *Judam*, ut spiritum non habeat; secundum *Johannem*, nempe spiritum, qui ex Deo sit.

Facile nunc quidem intelligitur, *dogmata*, quæ per se & directè unionem cum Deo dirimunt, absque omni dubio hæretica esse: v. c. si quis in Ecclesia Judaica negasset Christum venturum, in quo religio ipsa divinam benedictionem fundabat. Cæterum dantur, quæ non directè impediunt preces ac salutem; nihilominus impedimento proorsus iis sunt *indirectè* & *per accidens*: v. c. si quis in Ecclesiâ Judaicâ negabat; Christum illum Jesum Nazarenum esse: hæc enim *circumstantia* specialis ignorata, vel etiam negata à Nathanael, tantum abest, ut hujus invocationem sustulerit, ut potius à Christo adhuc diceretur verus Israelita, in quo dolus non esset, etiamsi negasset tantam veritatem. At vero eadem negatio vitam spiritualem atque æternam præcludit aliis Joh. VIII, 21. 42. ratio est, quia apud hos accesserat *consueto accidente* Evangelii fatis prædicati,

C 3

& op.

DE HÆRESI

& operum à nemine alio pstratorum. Joh. XIV, ii, 12.
XV, 22, 24. Idcirco & doctrinæ hujusmodi, per quas
saltem *indirecē* salus & gratia eruitur, si apud eum re-
sideant, qui oppositum verum anteā est professus, hæ-
reses dicendæ sunt. Dixeris: sic vero quot hæreses
prodibunt, quæ nunquam sunt tales habitæ? omnis e-
nim error, quatenus pertinaciter sovebitur, erit hæ-
resis; nam certè, hâc conditione positâ, invocationem
Dei veram non tantum lædit, verum etiam aufert ma-
litiosâ voluntatis perversitate. Quæ quidem ipso Scri-
pturæ testimonio ut manifesta est *ἀπαιθεολα*, ac litium
infinitarum seges 2. Tim. II, 23. ita ab Apostolo ad Ti-
tum III, ii, evitatur, quando is hæreticum non ever-
sum modò & peccatum notat, verum etiam *ὑπα ἀνατάπιον*, suopte judicio condemnatum. Ecquis au-
tem suo se judicio damnabit, præsertim si idem perti-
nacissimus describitur? v. 10. Itaque *ἀνατάπιον* il-
le dicitur, qui veritatem antehac amplexus est tanquam
salutarem, conscientiæ judicio convictus, eandemque
nunc contrà rejicit, atque ita ex pristinâ illâ sententiâ
semet ipsum condemnat. quo pacto vidua lascivientes
1. Tim. V, 12. censentur habere *κρῖμα*, quod *agendo* (Tit.
I, 16.) ipsam primam fidem rejecerint, quæ concipi-
scientias pravas cum fide non stare posse agnoverant:
& 1. Cor. XI, 19 hæreticis opponuntur *δόκιμοι*. conf.
sup. Obs. III. §. I. &c. it. Rom. XIV, 18. Statuendum pro-
inde fateor, hæresin esse, ubi ex quocunque dogmate, *in ordine* ad Christianam fidem agnitam, quisquam fieri
possit *ἀνατάπιον*. Talia sunt primùm, quæ *per se* &
formaliter veram in Christo invocationem Dei ever-
tunt, hoc est, quæ qui firmiter sibi persuadet in Eccle-
sia N. T. sanctificationem ABSOLUTE perdat, necesse est.

Dein-

JUXTA S. SCRIPTURÆ SENSUM. 23

Deinde & illa, quibus negatis in Ecclesia N. T. NON SIMPLICITER unio cum Deo viva amittitur, sed quorum tamen ex NATURA fit, ut, si pertinaciter negentur, informatione scripturarum integra interveniente apud animum rationis usū non destitutum, fides in Christum *salvificam* subsistere nequeat. Prioris generis v. c. est, meritum Christi pro peccatis nostris nullum ducere: posterioris generis, pernegare æternam Christi Deitatem: & familia. Neque enim Christiana fide imbutus plene esse ullus potest, quin salutis suæ fundatum in iis ponat, quæ ex parte sui vel *absolutè*, vel *secundum quid*, efficiant imaginem Dei instaurandam. Alia, quibus in negationem adductis contra demonstrationem ex sacris literis factam, tantum ex *subjecti* pertinacis *conditione* fides excutitur, quum ejus sint indolis, ut fides sincera absque iis, *formaliter* seu *virtualiter* agnitis, potuerit accipi, ex se non reddunt Christianum in *credendis auctoritatibus*, neque adeo hæreticum, vel hæresin constituere possunt aut debent. Quid, inquires, si quis negarit, adultum ad veram fidem conversum, NECESSARIO (saltern *virtualiter*) agnovisse v. c. æternam Christi Deitatem? Res ipsa, inquam, id evincit, Scriptura clamat, piarum mentium testimonia comprobant. Cujusmodi quid in *Articulu singulis*, qui huc pertineant, ostendere, peculiariis instituti est.

4. Sufficerit hic, in *thesi* ex Scripturis demonstrasse, quod non tantum errores, *per se* abducentes ab unione cum Deo, sint hæreses, verum etiam, qui hoc faciant *per accidens*, sed nihilominus ex *essentiali* tuâ ratione spectata ad fidem: quos siquis etiam *directè* illud præstare contenderit, λογοπεχλαν non amabo; tantummodo persistamus in *comamuni* hoc *canone*, *idemque*; *sentiamus*

DE HÆRESI

24

ttamus (Philip. III, 16.) circa mysteria etiā divina, quæ, quoad certo modo sunt patetacta & cognosci possunt, ad amorem Dei, ex habitudine ad ipsum constitutiva reperientur necessaria [nonne ad hæc quoque pertinet Filiū Dei incarnatio, cuius à Christiano agnoscendæ necessitatem quis negabit bonâ fide?] hæresin committi; quandoquidem, ut ex Dei gratiâ intellectui nostro accommodatè ad imbecillitatem nostram proponuntur, sic & credenda requiruntur atque animo concipienda. id quod alterum est, in quod tota hæc disceptatio resolvitur, supra etiam demonstratum. Si quid residuum manserit de variis dogmatum determinationibus, magis vel minus tum revelatis, tum unicuique necessariis; hoc quidem non æquè pertinet, ut ne rationi hæsitantí ullum subterfugiendi locum relinquamus, aut labamur cum iis, qui, præter Scripturam hæreticos faciendo, faciunt, ut ipsi rejectanei fiant, facientes mala, ut veniant bone, quorum damnatio justa est. Rom. III, 8.

Nos vero ad Deum conversi deploremus seculi nostri pravitatem, ortamque ex hac infelicitatem, quâ fit, ut de fidei fundamento operose adhuc in ipsâ mundi vesperâ disputare sit opus. Neque verò omnem in eos culpam temerè transmittamus, qui inter nos justæ contradictionis limites in eâ diquisitione transgrediantur. Palam non tam vereor, quam profiteor, maiorem illis tribuendam esse, qui tam frigidè Theologiam, atque hujus fontem literas sanctissimas tractant, ut quivis ipsarum lector, de salute sua sollicitus, non posset non apertis oculis agnoscerē, quod docentium haud equidem pauci inciderint in mentem judici spiritualis expertem: verum namque est, immo verisimum, pleraque ad voluntatem emendandam quæ scrip-

pta

JUXTA S. SCRIPTURÆ SENSUM.

25

pta sunt, vel non sine ejus spirituali affectu capienda, perverti intellectus humani præsumtis interpretacionibus ac *dialogismis*. 1. Cor. VIII, 2, 3. conf. Rom. I, 21, 28. verum, quod Scriptura S. de mysteriis parcè loquatur, hoc ipso ostendens satis, circa eadem nobis non nisi restriete ac timide versandum, cultusque divini studium potius in cordis fidelis habitu augendo, quam mentis indagatione præpostera, exercendum esse; contrà autem à plerisque fecus fiat, *invadentibus in ea, que non viderunt* (Coloss. II, 18.) oculo intellectus impuro atque ineptissimo, voluntatisque culturam spiritualem, unde isti afferendum lumen erat, negligentibus, quin & contemnentibus. Et quis vero salvâ conscientiâ negabit, quemadmodum *Gentilium hypothesis* de intellectu [viribus humanis] perficiendo, in Ecclesiam primævam temere illata, Antichristo maturitatem dedit, voluntatis curâ posthabita; sic B. *Lutherum* eandem malorum omnium causam agnovisse, ast hodiè illam quasi postliminio introductam adeò regnare, ut inter plurimos, qui Theologiæ nunc addicitioni habentur, Theologia vera ac propriè dicta queratur frustrâ? Conf. Job. *Musei* Introduct. in Theol. p. 191. &c. Hinc tantum incommodum, ut alii, Theologiam Academicam non edocti, crassam inscitiam & protervam perversitatem animadvententes, *orthodoxie*, tot corruptelis, spiritus neglectu, obnoxiae, parum credant, dubitetque aut negent tandem, quod magnopere curandum sit, intellectus de mysteriis quid sentiat, modo voluntas humana Dei verbo non renitatur. Quæ sententia quantum ipsius voluntatis *sanctificationi* damnum inferat, optandum, ne nimis sero experiantur. Non autem malo isti medebimur, sed tan-

D

quam

quam igni affundemus oleum , si indignationem illum , non tam ex origine causæ , quæm hujus distractiōne peccantem , quibuslibet impotentiæ generibus persequamur . Occurramus ei potius , & respondeamus dignâ solicitudine , nihil molientes *contra veritatem* , sed *pro veritate* nihil non præstantes , fatendo , quæ peccata seu errata fuerint , monendo , quibus Scripturæ norma deseratur : ut , omni æquitate perspectâ , & ipſi recipient sese ad moderationem , nos vero ne invideamus iis , qui non sine culpâ etiam tuâ ad majorem veritatis curam nos excitaverint . Scripsi hæc meo folius nomine , nec aliis quidquam præscribo : neque autem video , quomodo aliter stare potuerimus coram judice Christo Jesu , cuius hæc res universa est , in quâ nec ullius auctoritatis præjudicium fovere , nec temerariorum calumnias reformidare oportebit . οὐ γάρ ἔδωκεν ἡμῖν ὁ θεός πνεῦμα δελιας , ἀλλὰ δυνάμεως καὶ ἀγάπης . ἡ σωφρονισμός . 2. Tim. I. 7.

ANIMADVERSIO APOLOGETICA.

Disputatio hæc , a. 1697. publicæ habita , ipsos decem annos judicium & amicorum & inimicorum ita sustinuit , ut non tantum nihil in ea quenquam offenderet , verum etiam propter contradictionem factam adversus hypotheses , quibus opposita est , de vindicata circa Hæresi veritate non perperam meritus plerisque omnibus viderer . Licet enim ex Corollaria , quæ more Academico de aliis rebus subjuncta fuerant , præceps malevolorum manus non nihil ad sinistram interpretationem traxisset ; tamen ipsis de Hæresi Observatōnibus

APOLOGETICA.

27

nibus pepercerat eadem, perlustratis quidem certe non minus. Nec deerant sinceri Theologi haud postremi nominis, qui testarentur, se illas, curatius perlectas, suo assensu comprobare.

2. At vero accidit nihilominus tandem a. 1707. ut non nemo, necio quo effrenato impetu, propositum sumens de absurdis Hallensi Facultati Theologicæ tribuendis, visus sibi sit in hac commentaryne mea grande erratum invenire, quod inter efficta sua absurdia primo positum loco, de heterodoxia non immerito mihi imputanda, lectoris forte consensum præriperet. Neque quidem possum, quin ipse acerrimus veritatis vindic in eo sim, ut pronunciem ultrò, si ejus sententiae, quam scriptor iste prima fronte adscribit mihi, scriptum illud meum convinci posset, tum me scribentem de Hæresi in hæresin perverse incidisse: venditat enim, eo me prolapsum, ut statuerem; posse hominem cum Deo unionem vivam intre, etiamsi eternam Deitatem Christi neget. Quod quidem non absurdum modo, sed hæresin quoq; una cum Socinianismo detestabilem atque execrandam esse, omnium primus quam maxime contendo. Quanta autem, obsecro, injuria, nefas tantum in sentiendo tributum mihi velle, ubi mentionem ejus nullam prositus reperias, sed contrarium in eadem pagina 23. disertè magno cum zelo vindicatum! Quando enim sic ibi concludo: *quid, inquires, si quis negarit, adulterum, ad veram fidem conversum, necessario (saltē virtualiter) agnoscere v. c. eternam Christi Deitatem?* Res ipsa, inquam, id evincit, Scriptura clamat, piarum mentium testimonia comprobant: sane in contradicendo versor, asseverans, valde errari contra ipsam rei naturam, contra scripturam S. contraque conscientiarum experientiam, si quis sentiat, veram

D 2

ram

ram Conversionem dari posse apud hominem, qui æternam Christi Deitatem non agnорит. Ecce! an ego, qui tantopere agnitionem æternæ Christi Deitatis, necessariam ad Fidem, iteratis verbis gravissimis requiro, tum apud simul præ me ferre potui id, quod plus quam directe cum isthoc effato pugnat? Cum etenim totus arguo ac defendo, aditum non patere ad Conversionem & Fidem, ubi æterna Christi Deitas non agnoscitur; necesse est, multo minus concedam, quod pro eo, qui illam neget, via ad salutem relicta esse queat. Quid namque in Theologia notius, quam axioma de *Articulis Fundamentalibus*, salva Fide non ignorandis, nedum negandis? Quod si ergo hac mente contextum integrum num. 3. pag. 23 claudio, qui, quæso, ulla doceam ratione ibidem, ad vivam unionem cum Deo perveniri posse, negat etiam æterna Christi Deitate? vel, ad sanctificationem? id quod pag. 22. contineri, pariter nulla cum veritate scribitur. Verum enim vero sic in confusionis malum incurrire solent, qui de industria caußam querunt, quamobrem maledicant; fiuntque peccata pœnae peccatorum.

3. Confusio primum proditur in eo, quod, quæ pag. 22. 23. dicta sunt de *persuasione aut negatione*, animum sic afficiente, ut *fundatus* dudum *gratia statu* non illico inde *perdatur*, seu *amittatur* penitus; illa Accusator male interpretatur de statu gratiæ nondum fundato, quasi neque hic inde *impediri* & *occludi* perhibetur. Status ergo post *Conversionem* confunditur cum statu *ante Conversionem*, quasi cœlum cum inferno miscetas. Occludi vero portam Fidei, & *impediri* prorsus accessum ad eam, si non agnoscatur æterna Christi Deitas, multoque magis, si negetur; conceptis verbis, ut jam monstratum, sumus profecti uno eodemque loco.
Non

APOLOGETICA.

29

Non autem contradictionem in eo esse; dum nego, adi-
tum ad fidem veram consistere cum descripta persua-
sione aut negatione; quæ tamen, post fidem radicatam,
ex tentatione superveniens, ipsam non actutum perimat:
id diffar ratio ostendit facile, siquidem multis fit modis,
ut aliqua, per infirmitatem admissa, veritatis fundamen-
talis cujusdam negatio, gratiam firmatam non tollat,
licet hæc per contradictionem intercipiatur, si nondum
est accensa & fundata. Ita nimurum Christus affirma-
bat, morituros in peccatis, qui non crederent, se Mes-
siam esse; attamen ipse contra prædicabat veræ fidei
plenum Nathanaelem, qui cum aliqua rejectione salu-
taris confessionis, a Philippo factæ, ad Dominum ve-
niebat. Conf. Observ. V. p. 21. Nec celamus utrobique
p. 22 & 23, differentia fundamentum, indicantes, radicem
veritatis, implicite & virtualiter, adhuc manere quo-
dammodo posse, ubi negationis tentatio inciderit, quo-
ad animus distincte satis nondum esset informatus. Qua
quidem animadversione prohibere voluimus, ne con-
funderentur minime confundenda: ied, qui soveam aut
retia struunt, tanquam non videntes, justo ex judicio,
laqueis implicantur suis.

4. Deinde Accusator adigitur ad concedendum,
me non loqui de qualibet persuasione aut negatione er-
rori dedita; distinguendum quippe, inter eam, quæ
pertinaciter soveatur, & aliam, quæ non fiat pertinax.
Quo magis mirandum est, illum, qui hoc viderit, man-
sisse contradicendi studio impeditum, quo minus potu-
erit aut voluerit meminisse, quod fidei infirmatio haud
confundenda sit cum ejusdem privatione totali. Quum
enim in assertionibus meis aperte profitear, pertinaci
negatione æternæ Christi Deitatis fidem salvificam pro-
sus

D 3

fus everti; atque hinc satis intelligatur, statui casum aliquem negationis saepius dictæ, modò hæc nullo modo malitiosa, verum ex mera imbecillitate admissa fuerit, quo incidente fides in Christum, ut verum Deum, *salvifica* subsistere adhuc queat: (nam, non omnem istius negationis casum me ita consideratum velle, proxime sequentibus satis expressæ doceo; eximens hanc *fundamentalem doctrinæ Christianæ partem* illarum numero, quibus *negatis tantum ex subjecti pertinacis conditione fidès excutiatur*; atque hoc ipso significans solicite, negationem æternæ Christi Deitatis non tantum *ex subjecti pertinacis conditione fidem excutere*, sed *ex se & sua natura*, ut iterum ipsissimo verbo statim monui, evertere fidem, nisi peculiaris simplicitas *subjecti*, seu infirmitas, sola negandi caussa extiterit:) quanta, obsecro, his ita positis, confusio est, qua oppositum scriptum mihi objicit alienum quoddam *consequens*, quod agit de fidei privatione *totali*! quandoquidem hæcce in casu illo excepto neutiquam ponere concedi potest. Namque ex eo, quod aliquo modo largior, posse fieri, ut circa Deitatem Christi æternitatem affirmandam error non pertinax, tum informatio iusta defuerit, non *simpliciter unionem cum Deo vivam excutiat*; nullo certè nexu sequitur: *ut Christus possit habitare in corde hominis, qui veram fidem aliquanti sper non habeat.* Quod ipsum fieri non posse, frustra probatur, *ex inductione per fidem ad Gal. III, 27. ex inhabitacione per fidem Eph. III, 17. ex honore Christo & Patri denegato.* I. Sam. II, 30 Joh. V, 33. neque enim, fieri id posse, ullus ego usquam sentio; ut pote qui potius, *unionem cum Deo vivam in statu descripto relinquens*, veram fidem adhuc ibi aliquatenus agnosco. *Quomodo ergo hinc illud, quod isti adversa fronte contrarium est, consequatur?*

5. Nec

APOLOGETICA.

31

5. Nec minus mirandum venit, quod Accusator, animadvertisens, negationi pertinaci oppositam esse non malitiosam, verum ex mera imbecillitate ortam, non revocari in memoriam simul, cum peccato hujusmodi infirmitatis invocationem Dei in Christo consistere tantisper, dum ipsa vel ipsum id supereretur. Postquam igitur alterum constituerat hoc consequens, quod absurditatis & scandali accusaret; prava isthac intentione abreptus, errorisque sui immemor ac praeceps in novam confusione fertur, existimans, rationem agnoscendae Christi Deitatis ita comparatam esse, ut omnis dubitatio de aeternitate illius tollat funditus agnitionem Christi, ut veri Dei & unici Mediatoris, ipsiusque, ceu pergit, Deitatis. Non jam multus ero in monendo, quod una is relabatur in notatam supra confusionem *status ante Conversionem* cum statu eam insequente, quando conditio nem inde exprimit; *Si*, inquiens, *adhuc minima dubitatio de aeternitate Deitatis ejus in corde residet*: ita enim vero, si quis ante Conversionem explicite agitasset dubitationem illam & quomodo cumq; retinuisse, ne conversus quidem esse potuerit; neq; ideo talis, de quo nunc sermo est nobis & quæstio. Atqui, ut mentem sumamus, sicut prima & ultima verba habent *de invocatione Dei in Christo*, quæ fuerit penes hominem vera; an ista cum dicta negatione, si forte acciderit hujusmodi, vel momento ullo queat subsistere? ad hanc quæstionem respondens *negativus*. Accusator, rationes ab *ejendo* inteliciter confundit cum iis, quas de *cognoscendo*, una cum discrimine inter Fidei Articulos *constitutivos*, aliosque *presuppositos vel consecutivos*, respicere oportebat. Verissimum nempe est, Christum, ut verum Deum & Mediatorem unicum, esse fundamentum invocationis nostræ sanctissimæ; nec esse Deum ve rum

ANIMA DVERSIO

rum, qui non æternus sit; at enim non æque est verum, quod ei perperam admisetur, videlicet, Christum nullo modo agnoscit Deum verum, simulac ejus æternitas per aliquem miserandæ infirmitatis casum negetur. Non potest, inquam, consecutio in divinis *simpliciter* institui & urgeri ab *effendo ad cognoscendum*; quia rō *esse* est immutabili, semperque sibi constat omni ex parte; non item vero id, quod ad ejus cognitionem requiritur apud nos, utpote quod variis impedimentorum modis, atque imbecillitatis & tentationis casibus, obnoxium reperitur. Quanquam hæc observatio non eo tendit, quasi ad invocationem veram parum necessaria ducatur recta & firma cognitio. Est omnino ista necessaria, ut ostendimus pag. 10. non tamen circa omnes proprietates per modum *formalem* sive *explicitum*, quatenus magis vel minus earum indagatio, facile obliteratur; quo facto, aliquarum agnitio, si etiam negentur animo propter simplicitatem corrupto, interim sub iis, quæ cognitu propiores sunt, beneficio pacti Evangelici, saltem *virtualiter*, durare potest, quoad isthoc salvum retinetur; cuius rei mentionem pagina 23. haud prætermisit.

6. Videamus autem, quò detectæ hæc tenus confusiones Accusatorum porro seduxerint. Indigna indignatione utitur, sincero Theologo pudendum esse, increpans, statuere, quòd negatio æternæ Deitatis Christi non æque exitialis error sit, atque aspernatio ipsius meriti; propterea quod hæc ab eā pendeat. Quasi vero illius quidquam scriptum sit! An non expresse legitur pag. 23. *fidem salvificam subiisse non posse cum pertinaci negatione* Æ. D. C.? quid hoc aliud, quam errorem notare summè perniciosum, qui non minus perdat sanctificationem unionemque cum Deo, quam priori loco pos-

positus, quo quis à Christi merito abhorreat? Indignatio ergo nihil prorsus ferit, profecta ex *Elenchi ignoracione*, quæ orta ex iterata *confusione* errorum; quorum discrimen *ordinis*, ad salutem cognitu necessarii, non ab *esse* seu *naturâ* Articulorum Fidei, qua invicem hi cohaerent, sed à *modo & gradu cognoscendi*, quo intellectui magis vel minus obvii sint, præcludivè possint, petendum est. Causa hujus necessitatis ex eo cernitur, quia *principia agendi* seu errandi, quæ Deus in suo judicio spectat intra hominem, *diversa* attenduntur, non tantum ex indole *Dogmatum*, in se spectatorum, sed etiam, & quidem propter *terribilitatem* erga nos, ex ratione ad dijudicandos errores faciliore aut difficiliore, atque iis, quæ huic pertainent. Quocirca nimium fallitur, errorisque committit in *theoria & praxi* valde noxium, *Articulorum Fidei fundamentalium* confundens ordinem, ac scribens; si comparatio adhibenda, duriorem ac *periculosem* esse quamcunque negationem *aternæ Deitatis* Christi, quam necessitatis meriti Christi. Articulus hic de Christi merito, est ipse Fidei nuncleus, *constitutivus*: sed prior, est de *præsuppositis, conservativus*, non *immediate fidem & salutem* gignens. Periculum enim salutis in promtu est, si quis ex simplicitate vel *ignoret* Christi meritum; non autem æquè, si quis *æternitatem Deitatis* Christi ex simplicitate ignorarit: rationem differentiationis suppeditat conditio *attributorum Dei essentialium*, quod hæc reconditiona sunt, quam quæ ab omnibus, qui maxime rudes fuerint, statim capiantur. Unde beatissimi theologi, qui hac de re scriperunt, *HUNNI* aliquie, crebro inculcant repetuntque, in iis non requiri *semper scientiam explicitam*; quia in conceptu Dei ipsa id omnia per se comprehendantur, atque ita compensetur

virtualiter, quod notitia *formaliter* desit. Ordine *naturae* antecedit utique *eternitas* Deitatis Christi *valorem* meriti ejusdem; verum ordine *pacti Evangelici*, ad cognoscendum patefacti, *valor* meriti Christi, sine cuius explicita agnitione salus nulla obtinetur, illam antecedit. Ex quo simul patefecit, cur affirmaverimus, quacunque negatione meriti *absolute* perdi gratiam; & negaverimus, quacunque negatione *eternitatis simpliciter* eandem tolli: non, ac si *natura* unius erroris præ altero magis perniciosa duceretur, sed, quoniam, habita utriusque ratione, accedit, ut distincta *eternitatis cognitio præpediat* & obscuretur facilius, quam *salvifici meriti*, cuius dignitas per vera Deitatis Christi agnitionem *implicite* sustentatur.

7. Denique satetur Accusator, se non videre, quid defectus integræ Scripturarum informationis eo conferat, quo minus error sit, cum traditur, *non simpliciter*, qualibet negatione *eterna* Deitatis Christi, vitam fidei extingui atque amitti. Immò verò, si id vidisset, non potuissest in tot rerum confusiones se immergere: quod tamen in *Disputatione* satis clarè indicatum est. Observ. IV. p. 8. & Observ. V. p. 21, 22. Quæ vero præpostera temeritas, nihil non heterodoxæ aberrationis damnare, cuius præcipuum momentum nondum perspexeris! neque enim hac de re quisquam scripsit digne, qui non monuerit diligenter, omnem oculum in eo figendum, quatenus cognitio è Verbo Dei obtigerit hominibus. Longe aliud nimis est, si judicamus de errore, in se spectato; quam, si judicium de ipso ferendum, ut in humanis corribus à Deo ille reperitur & existimatur. Hinc sanc *principium agendi*, ad quod respicitur, accepta veritatis modulum esse, docet Apostolus Rom. X. Quod excipitur:

[1] nec

APOLOGETICA.

35

(1) nec posse informationem sufficientem deesse, ubi quis ad eum Christianismi gradum pervenerit, ut unione cum Deo viva fruatur: in eo duplex iterum confusio occurrit, tum graduum Christianismi cum ejusdem limine, quasi non unio viva cum Deo detur, nisi in maijore ipsius *Renovationis* mensura; tum quoque *Sanctificationis* cum scientiae incrementis, quasi illa fundari nequeat, si modo adsint prima religionis fundamenta, sed distincti etiam & *trasuppositorum* & *consequentium* dogmatum conceptus à singulis requirendi sint. Qua de causa audiatur B. *Hulsemannus* in *de Auxiliis gratiae* p. 2. *Ex praxi Apostolica liquet, initium prædicationis statim a Jesu crucifixo & remissione peccatorum sumptum fuisse: atque hæc dogmata, loco proportionati fundamenti, fidei auditorum substrata sunt, nulla, de efficacia verbi & sacramentorum, præfatione facta, sed per praxin protinus Verbi & Sacramentorum efficacia demonstrata.* Actorum I. II. III. capp. cap. V, 42 c. V. per tot. c. VIII, 35. c. X, 34. c. XIII, 16. c. XVII, 23. Conferatur ex his allegatum cap. X. ubi *formulas* quidem descriptio meriti Christi habetur, nulla autem sit mentio aeternitatis, nisi *virtualiter*.

8. Quod (2) additur; doctrinam de aeterna Christi Deitate, tanquam *fundamentalem*, satis perspicue in Scriptura S. propositam, ut prolixis demonstrationibus haud opus sit, veluti ex Evangelista Johannis initio constet: hoc questionis nostræ cardinem non attingit. Nihil amplius efficitur isto arguento, quam, ut ne dubitemus, hominem *Convertendum*, de A. D. C. cognitionem, qualis ad salutem est necessaria, ex Evangelio haurire posse: atqui id nos omnino supponimus, identidem testantes, sine ea, saltem *virtualiter* seu *confuse* agnita, verè ad Deum converti neminem. Nostra autem solicitude, quæ accusata

E 2

est,

ANIMADVERSIO

est, versatur circa eum, qui dudum ita sit *Conversus* quidem, nunc tamen admotis aliorum temptationibus sic præoccupetur, ut negat æternitatem Deitatis Christi, sed ex maxima judicii imbecillitate, antequam de illa modo *formaliter* ac debito informetur plenius; informatus etiam, mox de concepto errore dolens, gaudeat tanto magis, se per Dei gratiam ex eo mature liberatum. Unde explicandus *controversie status* in his vertitur: num in ejusmodi casu descripta simplex negatio *peccatum veniale* fuerit apud aliquos; nam apud multos ante exquisitam informationem pravi affectus potuerint concurrere ita, ut continuo *fraude peccati* facta sit inducato, & totalis *accusatio à Deo vivi*, Hebr. III, 12, 13. h.e. *peccatum*, quod *mortale* appellari solet; an vero apud omnes singulosque *simpliciter* unio cum Deo viva per commissum illum negationis minime pertinacis, actum amittatur? Posteriori nimio rigore adversus pactum Evangelicum dico impingere, & cum hoc ipso convenire prius; *lapsusque* istiusmodi notari puto ad Gal. VI, 1. circa quem *instauratio à spiritu mansuetudinis* locum habeat. Quod vero Accusator, ultimo sententiam meam repetiturus, in partem sequiorem hisce traducit eam verbis: *Abnegationem æterne Deitatis Christi posse cum viva unione cum Deo ad tempus aliquod subsistere:* ex eo, ut ab initio, & è sequentibus plurimis, hostilis se prodit calamus in scripto opposito; quum non de *abnegatione*, qua non potest non gratiam eruere funditus, sed de simplici & singulari negatione quadam egerit Dissertatio mea; nec de *temporis circumstantia* mentionem ullam fecerim, bene memor, quod erroribus ne minima quidem sit duratio cedenda, nisi maximo cum periculo, monitique *Augustiniani de Doctrina Christiana* l. 1. cap. XXXVI. *Affendo temere, quod ille non sensit, quem legit,*
ple-

APOLOGETICA.

37

plerumque incurrit in alia, que illi sententiæ contextere nesciat. Quæ si vera & certa esse consentit, illud non possit verum esse, quod senserat: sive in eo, nescio quomodo, ut amando sententiam suam, Scriptura incipiat offensior esse, quam libri. Quod malum si serpere siverit, evertitur ex eo.

9. Supereft, hanc caußam ut illustrem ex Historiâ atque experientiâ, deinceps eam doctrinæ firmamento ob-signem. Quanto studio ac conatu id egerint Ariani, ut hominum simplicium oculos mentesque glaucomate suo ab æternitate divinitatis Christi averterent; Theodoritus lib. I. cap. IV. abunde testatur Alexandri, Alexandriae Episcopi, epistolâ, quæ de illis sequentia profitetur: *Collectâis omnibus locis, in quibus sermo est de salutifera Christi dispensatione, & de abjezione, nostri caussa ab eo suscepta, impietatis sue doctrinam eorum autoritate confirmare nituntur, loca, quibus æterna ejusdem divinitas, & inexplicabilis apud Patrem gloria adstruitur, aversantes.* p. 9. Proficiuntur, specie quidem pacem & concordiam expetere se simulantes, re ipsa vero quosdam blandis sermonibus in errorem suum traducere conantes. A quibus etiam verboloris epistles flagitant, ut eas legentes hominibus, quos ipsi deceperunt, eos pertinaciter in errore perseverare faciant absque ullo penitentia senju, in impietate obduratos. It. Probabilitibus & ad assertionem compositis colloquiis pestiferam suam doctrinam obtegentes, simpliciorem quemque & fraudi expositum circumveniunt. It. Posita semel hac sententia, Filium Dei ex nihilo esse, divinas litteras de æternitate ejus revertunt, quibus immutabilitas & divinitas sapientiae ac Verbi, quæ sunt Christus, ostenditur. p. 10. Salutaris passionis & abjectionis atque exinanitionis, & paupertatis, quam vocant, eorum denique omnium, quæ Servator noster nostracauſa suscepit, adscititas voces memoria retinentes, eas ad supremam

E 3 aeternam

eternamque illius divinitatem refellendam afferunt. Eorum
 autem verborum, quæ naturalem ejus gloriam ac nobilita-
 tem & apud Patrem mansionem designant, prorsus immemo-
 res sunt. p. 15. Duorum alterum necessario esse dicendum,
 affirmant imperti: aut illum ex non extantibus esse, aut
 certe duo esse ingenita. Adversus hos rapaces lupos, sub o-
 vina pelle incedentes, consideremus oviculas, quæ credide-
 rant quidem adhuc fide vera, veruntamen confusa, xter-
 nitatem Deitatis Christi, non autem muniti fuerunt tam
 distinctis notionibus, ut complicataæ xternitatis indo-
 lem possent evolvere: quam facile ex imbecillitate ipsa-
 rum accidere potuit, ut, ceteroquin optimæ, astu Sata-
 nae & motu repentina, ad negandam Eam inductæ sint,
 captæ v. c. per illa disputationis cornua, de duobus inge-
 nitis, de priori & posteriori in xternitate, de Filii genera-
 tione, tanquam innovatione, &c. qualia *Photiniani*
 ex Arii scholâ didicerunt! (conf. Disp. Observ. V. num. 1.)
 præsertim quum simularent hæretici, se veram nihilominus
 Deitatem Christi retinere; ut ipse *Arius* ad Eusebi-
 um, Nicomedensem Episcopum, scribit apud Theodor.
 I.I.c.V. *Prosternit, Filium subtilissime ante omnia tempora*
 & *secula perfectum Deum, unigenitum, immutabilem.*
 Ita ergo simpliciores animi non nulli, quando ex infirmitate
 negarunt, xternitatem Filio Dei posse competere, ni-
 hilominus eandem *implicite & virtualiter* crediderunt si-
 ne ulla minimi temporis intermissione, permanentes in
conceptu ipsius, ut veri Dei, nec idcirco amisere fidem
totaliter, cujus quasi deliquium passi sunt; modò non
 accesserit pravus affectus, & opportuna eos informatio
 confessim in viam & vitam integrę reduxerit. Porro
 consideremus etiam atque etiam, quemadmodum sit in
 humanis, ut vulgus, quicquid assequitur, scire non ex
 toto

APOLOGETICA.

59

toto intelligat, quanquam, quatenus rem intelligit, nihil putare solet prætermisum; quanto magis ejusmodi quid contingat in divinis. Quodsi Nicodemus tam habes ad intelligendum erat, quid esset regeneratio, Magister in Israele existens; quam suisset ille obtusus ad capiendam Filii Hominis aternitatem! ut ipse hic indicat Joh. III, 12, 13. Ad *sanctificationem* quidem quod attinet, oritur ex ea facultas *probandi*, *qua sit voluntas Dei*, & *quæ discrepent*, nec non *exereendi sensus ad discretionem boni ac mali*: Rom. XII, 1. Phil. I, 10. Hebr. V, 14. sed hujus spiritualis lucis dispensationem Spiritus S. Fidelibus varie adjudicat, neque aliter plerumque, ac uniuscujusque status naturæ fert. Solliciti & suæ & aliarum Pastores animarum hic judicium loco audiendi, quam diversus in sanctis *charismatum* usus sit, quam difficuler ad exercitatos ingenii sensus emergant rudes, quamvis excellant spiritu gratiæ & precum, nec inexcitat manserint ad bonum à malo discernendum; quam varii illis adhærent defectus naturarum, animorum morbi, mentiumque inclinationes; quam facile hinc apud multos fides firma fiat infirma, & ex scrupulis injectis improviso nascantur de iis, quæ non satis dignoscunt, dubitationes, negationes, quas, simulac scitam explicationem acceperint, deplorant. Historia Jobi Biblica non parum etiam declarat talia, cui Deus paternè condonavit, qua hominibus a blasphemii nihil abesse videbantur. Qualia qui in se atque aliis non experti sunt, iis si quasi quiddam incredibile dicere putamur, habeant sibi, quod B. Mart. Chemnitius, de Libero Arbitrio agens, clamat: *Debebant hæc singulis, non ex otiosis disputationibus, nec ex alienis exemplis, sed ex servis propriæ pænitentiae exercitiis notissima esse.* Sed quia plerique sine ulis exercitiis fidei

& in-

ANIMADVERSIO

& invocationis vivunt, de rebus ignotis multa inextricabilia colligunt. De quorum genere hoc equidem esse, censeo: negationem ex mera imbecillitate, sive *subjectum*, sive *objecatum* respicias, proficiisci; &, per eam tolli *simpliciter* unionem cum Deo. Sed euge jam, recipiamus nos ad *MISERICORDIAS DOMINI*, quarum circa *Dominicam* has lineas exaro! Pastor ille bonus posuit animam suam pro suis ovibus: hiccine ovem ullam abjiciat propter infirmitatem intentionibus? NON CLAMABIT, NEQVE TOLLET, NEQVE AUDIRI FACET IN PLATEA VOCEM SUAM. CALAMUM CONTUSUM NON CONFRINGET, ET LINUM FUMIGANS NON EXTINGUET: SED IN VERITATEM PROFERET JUDICIUM. Es. XLII, 3.

10. Fundamentum doctrinæ, ex quo dijudicanda hæc quæstio, subinde quidem patescunt superioribus est: ne tamen Lector connexam Analogiaæ seriem cum auctoritatibus orthodoxis desideret, sequentia communiamus Theologorum axiomata.

I. Articuli Fidei fundamentales, alii sunt primi ordinis, seu *simpliciter* fundamentales; alii vero secundi ordinis. Primarii illi vocantur dogmata prima, ipsumque Fidei fundamentum; quia hoc constituant *intrinsecus*, fidemque salvificam *immediate* ingrediuntur. Atque horum nucleus ipsa est necessitas meriti Christi pro peccatis nostris. Conf. D. Nic. Hunnii Diafeps. p. 116. &c. D. Hier. Kromayeri Diafeps. p. 4. &c. D. Hillemann. Quæ dogmata sunt ad salutem necessaria? pag. 429. &c. D. Quenstedt Theol. Did. Polem. p. 243. &c.

Quæ talia sunt dogmata, sine dispendio salutis nec ignorari, nec negari possunt; queaque iis directe sunt opposita, sunt illa, quæ *sanctificationem absolute perdere*, affirmavimus Disp. p. 22.

II. Se-

APOLOGETICA.

41

II. *Secundarii*, fundamentales quidem, non tamen simpliciter; sunt quidem fundamenti partes, nec ipsum tamen fundamentum; quia hoc non *intrinsece* *constituent*, nec fidem salvificam ingrediuntur *immediate*, sed tantum *mediate* illi *substant*, tanquam dogmata *presupposita* seu *precedentia*, vel *consequentia*. Conferantur Autores modo citati, ibidem, & pasim; referentes eò inter alia *eternitatem* Dei & Christi.

D. H. Kromayer. p. 3. *Quotusquisque ex Neophytis & laetis indigis Christianis, de eterna Filii Dei à patre generatione aliquid scit conf.* Hülsem. l. c. p. 429., 30.

Talia *illeſo* fidei fundamento ignorari, non tamen negari, multo minus impugnari possunt. Quenst. p. 243. Neque ego aliud sentio Disp. p. 23. affirmans, iis negatis, unionem cum Deo vivam amitti; tametsi non *æquè simpliciter*, ut per ea, quæ primi ordinis, ad qua aperte ibi respicitur: addo ibidem, si pertinaciter negentur, *EX NATURA ipsorum fieri, ut fides in Christum salvifica sustine nequeat; atque iterum, ita non tantum ex subiecti pertinaci conditione fidem excuti, verum etiam ex negati objecti naturâ, h.e. quoniam id fide salva negari non potest.* Conf. Observ. V. p. 9.

III. *Non omne dogma, quod ex sua natura aliquod fidei necessariò presuppositum, aut eam consequens, astruit vel destruit, idem in hominis cuiusque mente, illud efficit.* D. Hulsem. Quæ Dogm. p. 432.

Ex hoc axiome discitur, quanti intersit, rationem habere *subiecti*; satisne informatus sit homo, nec ne; tentatusne, an statu animi integro pollens? nec non, cur in dijudicando erroris effectu apud hominem, non semper ad naturam modo hypotheseos, sed etiam, ac *sape* multo magis, ad *conditionem* animi humani, magismi-

F

nusve

nusve rem asequentis, respiciendum sit. Causa est, quod necessarium consequentiae cuiuslibet nexus non quivis perspicit, sed difficultas oriri potest varia, tum ex informationis & judicii defectu, tum ex tentationis motu atque affectu, quo minus ipsa necessitas satis explorata haberi queat.

Num idcirco, propter negationem inde exortam, dicendus sit aliquis fiduciam in Christum perdidisse, aut concipere non posse; laudatus Auctor sic diluit: *Distinguendi hic primo videntur seducti & dociles à seductoribus & pertinacibus. Seductos tolerandos esse & informandos rectius, jubet Apostolus Rom. IV, 1. 2. Thess. III, 14, 15.* Unde & eosdem à Deo tolerari, sequitur. Perinaces vero, nullis monitis parentes, veritatis assertores calumniis proscindentes, tametsi opinentur, se causa dejici non posse, ut *Judei Job. IX, 29. 41. Rom. X, 2. tamen Dei gratia excidere, ultionemque incidere, constat ex eodem Apostolo 2. Thess. I, 8.* Similiter D. Kromayerus in Diacon. p. 3. De consequentiarum evidentia præcognoscendum v. gr. si pars altera neget, positis his vel illis, hoc vel illud sequi, quod distinguendum sit inter seducentes & seductos, inter pertinaces & dociles, inter heterodoxas & heterodoxos. Seducti & dociles tolerandi sunt & informandi: pertinaces & veritatis calumniatores gratia divina excidere, dubium non est: gravius enim iudicium heterodoxas, quam heterodoxis tantum, simplicibus præsertim & docilibus, Salvator Matth. V, 19. minatur: *Qui solverit unum ex mandatis hinc minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum.* Utriusque testimonii sententia est prorsus mea, præter quam nihil sentio amplius; videlicet, qui seducti fuerint circa præsuppositum dogma, ex. gr. aternitatem Deitatis Christi, si tamen hanc veram adhuc supponant; per cum

APOLOGETICA.

43

eum negatæ connexionis errorem *non simpliciter*, seu *absolute*, gratiam amisisse, modo sint dociles ac se rectius informari patiantur; quanquam ex ipsis, qui ita seduci*ti* habentur, alii statim gratia excidere potuerunt, si non mera ex imbecillitatè & tentatione corrupti sint; id quod Dei judicio est relinquendum.

IV. Articulorum Fundamentalium Secundariorum negatio *ex parte* negantis stare non potest cum fide ac salute, nisi ingens simplicitas & ignorantia consequentia, per quam negatio illa ipsi fundamento fidei per consequentiam adversatur, & animus ab errore, qui fundamento fidei directe aduersatur, abhorrens ac meliorem interpretationem admittens, intercesserit. D. J. G. Baierus Compend. p. 58.

Rationem & ipse addit p. 61. 62. Quia enim negatio articuli secundarii [e quorum numero esse doctrinam de eternitate Deitatis Filii , supra demonstratum est] non aduersatur fundamento fidei, nisi per consequentiam, consequentiam autem non capit, qui ex simplicitate negativam illam amplectitur; ideo cum fundamento ipso negatio ista, in tali subiecto, stare potest. Et quia cognitio expressa articuli, qui negatur, ad generandam fidem & causandam salutem simpliciter necessaria non est; [conf. D. Nic. Hunnii Diacep. p. 269. &c.] ideo negatio ejus, ex mera ignorantia & simplicitate profecta, stare potest cum cognitione ceterorum, quæ ad fundamentum ipsum, in quantum ad causandam fidem & salutem cognitu necessarium est, pertinent, neque adeo fides ipsa & salus necessario tollitur atque impeditur. Quæ quidem perita ex D. Joh. Musæi Introductio-ne, resolvit in Axioma illud *Hülfemannianum*, tertio loco hic à me positum, adducens etiam consensum Kromay-erianum.

II. Quando ergo satis confectum atque ostensum

F 2

est,

ANIMADVERSIO

est, NON SIMPLICITER omni negatione dogmatum fidei fundamentalium eorum, quæ non tam *constitutiva*, quam *præsupposita* seu *consequenia* sunt, gratiam tolli; sciendum simul, nihil hoc ipso concedi *Socinianis* aliquæ hæreticis, quasi illorum dissensio non haberetur grande nefas. Quin immo exinde, quod negatio, informationem & consequentia evidentiam repudians, sine omni dubio exitiosissima est, istorum hæresis fit tanto manifestior. *Qui enim sic aliquem* (ejus generis articulorum) *negat, is non solum vi negativa suæ implicite, indirecte & per consequentiam destruit fundamentum fidei & salutis, vel saltem aliquid eorum, absque quo id salvum esse non potest, sed etiam agnita consequentia vi & bonitate, jam per errorem, ex negativa deducuntur, fundamentum fidei, & salutis ipsum directe destruit, idque ad generandam fidem cau-sandamque salutem, quantum in ipso est, inefficax reddit: quod à nemine, fide & salute salvâ, fieri potest.* Ut rectissime scriptit B. J. *Museus* *Introduct.* in *Theolog.* p. 177. Ita Socinianis opponimus non modo hanc thesin, *Iesum Christum esse Deum verum*, sed etiam addimus, *atque aeternum*: & quoscunque, informationem hac de re non admittentes, gratia Dei expertes statuere, non dubitamus.

12. Ceterum abest tantum, ut ego Socinianissimo quidquam indulgendum putem, ut potius nihil sub sole pestilentius, nihil ipso Christianismi nomine indignius, agnoscam. Unde & factum esse existimo, quod Satanæ modo non uno sit cónatus, movere mihi suspicionem opinionum eo spectantium, quas me, ut ipsam Evangelii perniciem, detestari sentit. Viderint, qui suam huic malo præbuerunt operam, ne Diaboli instrumenta esse perseverent! Absurdorum Autor ex hac primæ criminati-

APOLOGETICA.

45

nationis sua refutatione, qua ipsius quidem maledictis non respondi maledicendo, sed verba modò factis attemperavi, facile tamen persentis et, quantopere à Spiritu maligno se occecari passus sit; recognoscens, qui cœperit dicam mihi scribere, ne adhibitis quidem causa fundamentis, quæ pasim apud Theologos sunt obvia. Quemadmodum vero in tot labyrinthos sese immisisset neutriquam, si illos consulere & amplecti, quam prævidenter agere, maluisset; ita nec festinasset, de fidestantium, tentationibus obnoxia incredibilibus, nimis leviter sentire, nisi cum plurimis simulacrum Fidei *historicum* loco illius vera esset intuitus: quæ ratio cœcutiendi infinitorum scaturigo errorum est. Jam vero, si semet ipsum non oderit, prudentius reputabit secum, quid tam perverbis compluribus incusationibus, partim aduersus me, partim aduersus venerandos Collegas meos, commiserit, quidque effecerit aliud, quam ut thesaurizat sibi ipsi *iram in diem iræ & patefactionis justi judicii Dei*: qui reddeat unicuique secundum opera ipsius; *is* quidem, qui secundum patientiam operis boni gloriam & honorem & immortalitatem querunt, vitam eternam. *Iis* autem, qui sunt EX CONTENTIONE, & qui ipsi veritati quidem haud obsequuntur, obtemperant vero *injustitia, excandescencia & ira* (erit.) *Affidio & angustia, in omnem animam hominis, perpetrantis malum: gloria vero & honor & pax cuivis operanti bonum.* Rom. II, 5, 6, 7, 8, 9, 10. Equantum scripto illo Germanico in tota Germania perpetravit malum, tanquam fax & tuba! Quod si maledictionum calculos subduxerit, an non illis animæ innumeræ ad calumniandum accensæ atque obfirmatae sunt? Infinita hæc culpa est, in qua præterea omnes intunt culpæ malorum, quæ inde consequuntur, non minus ad bonum omitten-

F 3

dum,

dum , quam ad augendam suspicionem ac pravitatem.
Ferunt non nulli , Autorem hujus scripti pœnitere : sed
quæ , & qualis pœnitentia , ubi non tollitur eodem mo-
do , quo illata est injuria tam multiplex , eaque longe a-
trocissima ?

Si p̄ferare Deum memorem fandi atque nefandi
Voluerit , mature adhuc sibi consulat , est necesse omnino ,
ne judicium ad obdurandum magis magisque aggraves-
cat: quo quidem nomine ipsum misericordia divinæ
commendamus. Profligatisimum enim scribendi genus ,
quo contra nos egit , per se ad cœlum clamitat , non se-
gnius certe , ac olim vox Schimei adversus Davidem. Nec
minor in culpa sunt , qui , quam deberent illud impro-
bare , non veriti sunt laudare , sibique gratulari de asecla
furibundo ; nimium alieni a Paulino charactere **I. Cor. XIII,**
6. Charitas non gaudet in iustitiâ ! Quid , quod p̄vertendi
fraudem etiam a se augendam putarunt ? ex Accusatoris
calamo , quasi ipsi , quid veri subesset , haud potuerint
legere , singentes , scriptum a me p. 23. per negationem
Deitatis Christi non simpliciter unionem cum Deo vivam tolli :
item p. 22. negare Deitatem Christi , non esse errorem ta-
lem , qui formaliter veram Dei invocationem evertat , & de
quo firmiter persuasus sanctificationem necessariò perdat :
immo , nequid detegendo suo virulento affectui decesset ,
addentes Germanice hæc verba : *id quod certe horrendum*
est. Sanctum equidem affectum dicerem , si essent vera-
ces in ferendo. Horrendum autem appellare pronun-
ciatum , quod minime pronunciatum ab altero est , sed
huic id malitiose attribuere ; hoc vero quām horrendum
facinus ! hac calumnia quid usquam horribilius ? Nam
testor Deum hominesque , non tantum me ab hereticis
eiusmodi effatis penitus disidere , verūm nec ullum
corum

APOLOGETICA.

47

eorum sensum, vel *expresse*, vel *per bonam consequentiam*,
haberi pag. 22. & 23. ubi etiam verbis expressissimis con-
trarium docetur ut ostendi supra. Pag. 23. exemplum
profertur, non de Christi Deitate in se spectata, ast
de attributo *ÆTERNITATIS* ei competente: quod enim
ad veram Deitatem Christi attinet, quatenus ipsam quo-
que aternitatem continet *implicitè*, ibi profiteor identi-
dem, sine ejus agnitione nec Conversionem dari. Alterum
vero p. 22. ubi legitur? unde extorquebimus? I-
terum pessime usurpatur fallacia, à dicto secundum quid
transiliendi ad dictum simpliciter: siquidem aternitatis,
per quam exemplum in sequentibus determinatur, ne
mentionem quidem faciunt, quanquam illa præcise consi-
derata ante oculos exhibetur. Quantumvis enim per-
inde sit alias, sive Deitatem *absolute* dicas, sive aternam
Deitatem: quando tamen ex instituto agitur de differen-
tiâ Articulorum Fidei fundamentalium, ut in propositis
Observationibus; hac de re constat è superioribus liquidò,
tum multo aliud esse, si *Deitas* ipsa ignoretur vel nege-
tur, quam, si *attributa* ejus ignorentur vel negentur. Ec-
ce! ergo, cum aternitatis in Christi Deitate considera-
tionem ad secundi ordinis *Articulos fundamentales* retuli,
non potui sàne, quin Deitatem Christi, *absolute* sumtam,
iis, qui primi ordinis sunt, annumerarem, una cum e-
iusdem merito, quod sine eâ ne primus quidem auditus
capit. Itaque mens profecto mea nullo modo alia vel
excogitari potest, quam isti, quæ mihi afficta immerito,
prorsus contraria; nempe hæc: *per negationem Deitatis*
Christi simpliciter unionem cum Deo vivam tolli: item: *ne-*
gare Deitatem Christi, esse errorem talēm, qui per se & for-
maliter veram Dei invocationem evertat; ut, qui eum firmi-
ter

ter sibi persuadet, Sanctificationem perdat necessario. Obsecro lectores atque obtestor, inimicos non minus ac amicissimos, ne nolint animadvertere, quo iniquitas censendi in Ecclesia nostra erumpat. Obtruditur mihi sententia heterodoxa, tanquam mea, qui nihil, eo pertinens, sed aperte id scripsi, quod illi contradictione est oppositum. Atque ita fallentes, audent exclamare: horrendum! Ita quum agant *Denunciations*, nimis falso *Innocentes* dictæ, CRIMINE AB UNO DISCE OMNES! Ita quum egerit Theologus Senior Gryphiswaldensis, æque ferventer, ut juniores, illius heretici erroris me insimulans, *Concionis* publicè habitæ atque editæ pag. 35. ut alia, non magis veracia, jam non tangam; equidem per silentium diuturnius haud debui Ecclesiam & officium meum defraudare. DEUS misereatur horum temporum, in quæ nos reservavit, arrogantiæ, perfidiæ, invidiæ ac livoris plenissima; doceatque obrectatores, qui innoxios prō nihilo condemnant, quām crudeliter faviant in se met ipsos, perturbantes atque irritantes ad peccandum tot mille conscientias! Ha-
ruh etiam misereatur DEUS!

F I N I S.




01 A 6534


56.

M. 66.

10/12

R





17.
18.

JOACH. JUSTI BREITHAUPT,
S. Th. D. & P. P. Sem. Th. & Sacrorum Hillersl. Direct. Præp. & Præl.
B. V. Magd. Confil. Confil. & Gen. Superint. in Duc. Magd. primaq; Diœc. Sal. Infsp.

OBSERVATIONES THEOLOGICÆ
DE
HÆRESI
JUXTA
S. SCRIPTURÆ SENSUM,
In
UNIVERSITATE HALLENSI
A. MDCXCVII. P.P. ad disputandum.
Accedit
ANIMADVERSIO APOLOGETICA
A. M DCCIX.

HALÆ, apud CHRIST. ANDR. ZEITLERUM, Acad. Typogr.

